



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Iudicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

73 Gloriam inanem & laudem humanam non venari es regimine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

SIGNVM LXXIII.

Gloriam nō
aucupari.

NON QVAERERE AVT VENARI
ex regimine gloriam aut lau-
dem humanam.

1. **Q**uia hæc non est sufficiens præmium vi-
tutis, cum nil ea sit fragilius & leuius. Cre-
tè nimis exile esset præmium pro tot laboribus
quos Magistratum subire oportet.

2. Cum sæpe pro salute ciuium propriam
riam & existimationem debeant contem-
nere. Hinc *Torquatus* filium, alioqui victorem occidit,
quod contra eius mandatum, cum periculo mu-
titudinis, ob gloriam dimicasset. Boni Magistra-
tus ad regendum mouentur, vt à Deo præmium
laborum, & charitatis, ac sollicitudinis erga mu-
titudinis bonum exhibitæ expectent, (vt ait
Thomas de Regim. Principum c. 7.) & nihil aliud
quærent, quàm beatam subditorum vitam. Vni-
us mos erat apud Persas, vt manè surgenti Regi
lecto nuntiaret quidam, vt euigilaret ad conser-
uandum populum, quem Deus illi commiserat.

Notent hæc
Episcopi
Vicarij in
Pontificali-
bus. vt vo-
cant. & spi-
ritualibus.

Reges eorum peragrabant omnes Prouincias,
viderent quid opem Regiam desideraret, (vt
inquit *Plato* fecisse *Minoem* Crete Regem,
vt iustitia coleretur, & egentibus subueniret,
atque oppressis, & bonum Regis munus emen-
tioni daretur. Est enim Magistratus, non solus
generali, sed etiam in particulari curam sub-
ditorum habere, eos à malis & iniurijs tueri,
eorum vitas ac res ab hostibus internis & et-
ernis conseruando, ac eos via religionis, iustitiam
a laudibus

aliarum virtutum ad aeternam beatitudinem dirigendo.

Gloria est ingenio crocodili prædita: nam fugientem sequitur, sequentem fugit. Hinc Epigramma:

Gloria, si fugias, crocodili more sequetur:

Si profugam sequeris, longius acta fugit.

Esse quod es; quod sunt alij, sine quemlibet esse:

Quod non es, nolis; quod potes esse, velis.

Certè gloria vera est filius laboris, &

Falleris, esse aliquid si cupis, esq; nihil.

Seneca: *Gloria est vmbra virtutis, inuitos comitatur.* S. Thomas, *aureo opere de Regimine Principum*, Regem Cypri docuit, ipsam Regem ratione esse regendum: regimen iniustum esse atque peruersum, si priuatum, non publicum, commodum querat: & quoniam mundanus honor, & hominum gloria, Regiæ sollicitudinis non est sufficiens præmium, ideo expectandum esse à Deo præmium. Non enim, ait ex Augustino, Christianos Principes, quia diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reip. dimiserunt, vel ciues, aduersum se insurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt; sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si malunt cupiditatibus, quàm gētibus quibuslibet imperare, si omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis aeternæ. Tales Imperatores Christianos felices interim dicimus spe, postea reipsa futuros, cum id, quod expectamus, aduenerit. Hæc S. Thomas ex Augustino, quæ postea sapientissimis rationibus firmat, dum & monstrat præmium Regum tenere

Gg

tenere

tenere excelsum gradum in beatitudine caelestis
 quare & bono regimini studendum esse, ob boni
 sui ipsius, atque ob id, quod inde percipitur, fru-
 ctus, cum sic quoque magis diuitiæ, potestas, ho-
 nor, & fama potius, quam ex improba admi-
 nistratione consequantur. Cæterum Regem in re-
 gno debere esse sicut animam in corpore, & licet
 Deum in mundo, qui cuncta ordine, propria ope-
 ratione, loco disponit: sic tamen, ut distincte sit
 administrationes Sacerdotalis & Regiæ, & cum
 vnaquæque præstet officium, &c.

M. Aurelius Imp. ad Regem Trinacriæ scribit.
 Hoc est gloriæ ingenium, cum quærit, a quo non
 cognoscitur; cum eo loquitur, a quo non auditur;
 cum eo rem habet, a quo visa non est; cum in-
 quitur, qui ipsam fugit; cum honorat, a quo pe-
 uipenditur; nolentem vult, non petenti se ostendit;
 ignoto se credit. Denique hoc gloriæ est petu-
 re, quod eum deserit, a quo magni æstimatur. Ad
 cum eo manet; a quo parui penditur. Prono-
 tores, non qualis sit locus, sed quænam eo via
 cat, quærunt: ad eundem modum viros præ-
 tes & excellentes, non decet mox oculos a
 re gloriæ, sed eos in via tantum virtutis, qui
 gloriæ arcem ducit, defigere.

Quoniam vera gloria ex radice virtutum
 nascitur, & virtutem, ceu corpus umbra, sequi-
 tur, ideo non est eius, qui virtuti ac recte
 insistit, gloriam anxie aucupari, aut ambire
 tum gloriæ desiderabis (ait Plut. *Opusc. Philo-
 Princip. deb. disp.*) quantum satis est ad conser-
 dam tibi in rebus gerendis auctoritatem, quæ
 nascitur, quod vir optimus habearis. Hoc enim
 est, quod Cic. inquit 2. *de Offic.* his verbis dicitur

nam & perfectam gloriam constare ex tribus, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat.

1. *Agessilaus Lacedam. Rex* nullius gloriæ dulcedine rangebatur, quam non suis sibi laboribus comparasset, cumq; mortem obiret, serid mandauit filiis, qui aderant, ne quam vel statuam, vel imaginem in suum honorem erigerent, inquit: Si quod præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei; sin minus, ne omnes quidem status, cum sint vilium ac nullius rei opificum opera. † *Plut. Xenoph.*

2. Iactanti cuidam quod Lyfandrum in cælum laudibus tolleret, atque aduersus obrectantes tueretur, duo, respondit, *mibi sunt boues ruri, & vel tacentibus ambobus, noui certè vter ignauus sit, & vter ad laborem strenuus.* Qua allegoria sensu vir magnus, veram virtutem non egere laudibus humanis, cum ipsa secum ducat suam laudem ac decus. Cæterum, qui nihil egerunt præclari, his opus est præconibus. *Plut. Xenoph.* Rectè Socrates apud Stob. *Inanes vrres ventus inflat, sic stultos homines opinio.*

3. Cum *Vipfanius* Consul ad Senatum referret, *Claudium Cæsarem* ad singularem clementiam Patrem Senatus esse appellandum, ipse cohibuit Consulem (ait *Tac. i. Ann.*) vt nimium assentantem.

4. Cum *M. Antoninus* Rhodum insulâvi ac impressione expugnasset, & in ingressu passim salutaretur Rex & Dominus: *Nec Rex sum, inquit, nec Dominus; sed Regis ac Domini interfector.*

5. Cum *Traiano Casari* quam plurimi deferrentur honores, reliquis posthabitis. *Optimi* cognoscito contentus fuit: *Felicis* cognomè reiecit, quòd

non moribus, sed fortunæ datur; & Magni, cuius plus inuidiæ, quàm pulchritudinis inest. Hinc merito à Plinio, *Paneg.* in hunc modum laudatur: Seis ubi vera Principis, ubi sempiterna gloria, ubi sint honores, in quos nihil flammæ, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Aras enim & statuas, aras etiã téplaq; demolitur, & obscurat obliuio; negligit, carpitq; posteritas contra contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor ac frenator animus, ipsa ventura te floreſcit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè necesse est.

6. Inter cauſas, quæ Carolum Burgundum, cognomento Audacem, in ruinam & exitium precipitem egerunt, præcipuam recenſet Commaſius (*lib. 7.*) illius famularis, ambitionem, & aliorum Principum gloriam ascendendi cupidinem, quæ, inquit, illum iracundum reddidit, & promptum ad bellum vicinis omnibus terris, & sine cauſa inferendum. Perijt in obſidio Nancęana. *Vide in loco de Pace, exemplum inquit.*

7. *Ferdinandus*, Henrici III. Castellæ Regis tutor nepoti suo Ioanni II. octo menſes à fratre inſtitutus, atque in publicis Regni officijs à Castellæ Proceribus populoque obrogatus, vt relicta nepotis tutela, ipſe regnare vellet, arbitratus eſt omnia Regum commoda perfidia nota labeque maculata, nihil ſibi commodi allatura; quapropter oblatum ſibi regnum cum ipſo Regno titulum renuit, spreuit, & vnde cognomine *Iuſti* merito cohonestationemque Deus poſt aliquot annos Regni ragoniæ & Sicilia compenſauit, & liberos nepotis

Pſalm. III.
Potens in
terra erit
ſemen eius,
&c.

nesq; eius summa felicitate cumulanit : nam non solum plurimorum regnotum accessione eos au-
 xit, (Neapolis, Castellæ, Legionis, Lusitaniæ, at-
 que aded totius Hispaniæ;) verum etiam eorum
 Imperium ad nouum Orbem vsque propagauit.
Resner. in oper. Geneal. in stirpe Legionensi.

8. *Venetæ Resp.* sedente Iulio II. Pont. Max. li-
 bertatem penè amisit: quia cæteri, qui ditiones in
 Italia obtinebant, animaduertentes, aut suspi-
 cantes ad Imperium totius Italiæ Venetos, Pisan-
 nis iam attentatis, adspirare, contra illos ictu
 foedere conspirarunt: quod prudentiores illius
 Reip. Senatores satis ante prouiderant, ideoque,
 dum de oppugnandis Pisanis consultabatur, in
 alia ibant illi omnia, moti, totam Italiam iam
 ipsorum magnitudinem ægris oculis adspicere,
 proinde hanc Pisanam affectatam dominatio-
 nem cunctis permolestam fore: quia etiam in-
 dexationes, & pericula maiora, quàm quis
 suspicari possit, exspectanda esse, longeque illos
 aberrare, qui sibi persuadebant, cæteros Princi-
 pes otiosissimos tanti incrementi spectatores
 fore, & passuros, vt Veneto Italiam iam formidan-
 do imperio ea Pisanæ ciuitatis oportunitas ad-
 iungeretur. *Ex Guicciard. Amirasus lib. 1. dissert.
 Polit. disc. 6.*

SIGNVM LXXIV.

GRATVM ESSE IN DEVM, PRAE- *Gratum*
 ceptores, amicos, & omnes *esse.*
 benefactores

1. *Constantinus Magnus*, cum splendidam &
 Coloniolam de Maxentio Tyranno repor-
 tasset

G g 3